

## Spicilegium molluscorum orientalium

annis 1852 et 1853 collectorum.

Auctore J. R. Roth.

### Praefatio.

Redux ex altera per aliquot orientis terras facta peregrinatione, unde satis larga novalium animalculorum copia Museo Regio Monacensi redundavit, observationes nonnullas de molluscis harum partium modo novas modo supplementarias offero tibi, benevole lector. Quum primum tractatum ederem <sup>1)</sup>, parvus innotuerat numerus molluscorum Graeciae Asiaeque proximae indigenarum: nec ita grandis adhuc est, quamvis naturae curiosi ibi iter facientes neuti-quam hanc partem neglexerunt. Ex itineribus Forbesi et Sprattii <sup>2)</sup>, Boissieri <sup>3)</sup>, Liebetrutti <sup>4)</sup>, Saulicyi <sup>5)</sup>, Bellardii <sup>6)</sup> accrevit manipulus specierum digestus a conchyliologis optimaе notae, et e scriptis Rossmässleri, Pfeifferi aliorumque cumulus accessit non tam novalium quam minus bene cognitarum de distributionibus Parreyssii et Frivaldszkyi: sed longe abest credo, quin et tertia pars istius faunae permotuerit. Liceat mihi pauca disserere de causa tardioris progressus, impedientis cognitionem molluscorum orientalium.

Quis est, qui ignoret, uberrimas pridem orbis partes

1) Roth, Molluscorum species, quas in itinere per orientem facto Doctores Ertl et Roth collegerunt. Monach. 1839.

2) Pfeiffer, in Proceed. of the Zoolog. Soc. of London. 1849.

3) Charpentier, in Zeitschrift für Malakozologie, 1847.

4) Albers, eodem loco. 1852.

5) Bourguignat, Testacea novissima, quae cl. D. Sauley in itinere per orientem an. 1850 et 1851 collegit. Paris 1852.

6) Mousson, Coquilles terrestres et fluviatiles recueillies par M. le Prof. Bellardi dans un voyage en Orient. Zurich 1854.

illas, unde originem trahens cultus humanitasque, pretiosissimae mercedes mutui gentium usus, ad alienas stirpes migraverunt, temporum cursu redactas esse ad ultimum infecunditatis gradum — minas divinas istas expleri: *proferat tibi ager vepres sentesque*. Degenerata proles atavorum omni re praestantium tenet patrimonium, quod pravo usui obnoxium recessit a laude terrae redundantis lacte et melle. Nec sibi solum homines male consuluerunt: luget campus, maerent animalia. At quisnam fuit iste usus improvidus? Absciderunt fontes, exciderunt nemora, saevientes impie in Naiades Dryadesque.

Penuria aquarum, roris pluviarumque defectio, qua hodie partes orientales pristini Romanorum imperii premuntur, sane nobis aperit causam paucitatis specierum et plantarum et animalium, quae certo tempore simul ibi in conspectum veniunt. Sunt multae species, quibus largiori humore opus sit, quam quo maxima anni pars gaudet: vitam degunt absconditam caelatae latebris, unde emergunt quando aër humusque refrigerantur: aliae quidem nec ardores nec siccitates fugiunt accommodata vitae ratione ad coeli intemperiem. Aliae quibus brevissimum vitae spatium, paucis hebdomadibus veris vigent, tum dissolvuntur relictis seminibus vel ovulis posterae generationis enasciturae ubi rediit tempus opportunum. Agmina quidem locustarum, formicarum, muscarum adsunt, sed paucissimae species, rara variatio.

Molluscorum terrestrium species plurimas multo magis addictas esse humori, quam alia animalia e. gr. articulata, inter omnes constat. Motus impeditus et molestus vetat longiores migrationes ad quaerendum cibum potumque: si deest, absconduntur in terra, in fissuris rupium, sub cortice arborum aliisque latebris, et clausa testae apertura torpent per menses: idem fit, si yictu non deficiente per diem calor aestusque nimius fugat animalcula mox reditura ad pastum nocturnum. Hic usus molluscis Europae mediae: quanto

magis necessarius plurimis provinciarum orientalium speciebus, quae propius ad nostras quam ad tropicas accedunt et in medio quasi positae modo has modo illas referunt natura. Quibus testae crassae, calcareae, cretaceae, sustinent calorem neglecta cura latebrarum, torpentes per menses aestivos, ut nostrae contraria vice per hiemem: quae vero tenuem, levem, pellucidam testam incolunt, noctem excursionibus magis opportunam eligunt, quamdiu victus praesto est: exhausto penu et premente aestu abditissimos recessus petunt. Quid mirum, naturae curiosos tam tarde et carptim afferre harum partium mollusca? Multo laboriosius fit ibi collectoris opus. Plurimas species ex rupium fissuris extricandas, e solo effodiendas debet curare: quae foras inveniuntur exuviae emortuarum, sole inclementi ita cremantur, ut nulli studiosorum usui inserviant.

In nostris partibus mollusca paucis inimicis infestantur: erinacei, sorices, sturni, turdi, formicae innotuerunt hostiles helicibus. Praeter haec in oriente alia animalia molluscis insidiantur. Constat coleopterorum quorundam et larvas et imagines helicibus vesci: tales referuntur Cy-chri, Staphylini, Drili, Lampyrides, Silphae. Variis artibus praedam circumveniunt, de quibus conferatur Petiti commentatio: *des ennemis des Limaçons* (Journ. de Conchyl. Vol. III, p. 97). Sed nova mihi spectata ars, quam ipse vix crediderim nisi iterata vice observatam. Drili cujusdam larva, mandibulis validis armata, testarum anfractum ultimum et penultimum arrodens perforat et animalculum cogit, ut solvat vinculum, cujus ope aretissime lapidibus adhaerens aperturam testae plane obseptam reddere solet. Pluribus lacessitur singula testa foraminibus, ovalibus (diam. maj. 2, min.  $1\frac{1}{3}$  millim.), margine externo latiori et sub lente manifesta mandibularum rodentium vestigia monstranti. Lampyridum foeminas apteras, Ocyppum olentem aliosque Staphylinos in testis intactis apprehendi.

Paucis verbis referam, quibus in locis instituerim investigationes. E portu Tergestino proficiscens ineunte mensi Novembri duobus annis abhinc, ad quas appulit lembus vaporarius insulas Hadriae, obiter et festinanter percurri: Coreyra et Zacynthus insulae praebuerunt novalia. Inde in Corinthiacum sinum vectus Patras aliosque portus adii, appulsum brevem in rem meam convertens. Per hibernos menses Attica me tenebat effodientem animalium priscorum ossa stupenda, quae leguntur ad vicum Pikermi Atticae mesogaiae: in alias partes et praecipue in montes Parnetem et Hymettum, nec minus in insulas Aeginam et Sphaeriam excursiones non irritas suscepi. Mense Aprili rursus navi conscensa Smyrnis, Rhodi, Beryti paululum degi: tum egressus in portu Joppes Hierosolymas petii, et inde exiens variis itineribus majorem partem Judaeae et Galilaeae perillustravi, donec aestus flagrantissimus pepulit invitum. Reversus in patriam mense Septembri anni superioris exemplo quae viderentur nova publici juris facere statueram: sed mox certior factus parari duas commentationes similes de itineribus cl. Sauleyi et Bellardii, moram interposui meo libello, ne augeatur, quantum in me sit, injucunda moles synonymorum. Nec poenitet me hujus consilii. Patebit ex enumeratione, quantae species duplici triplicive appellatione subjectae fuerint, si eodem tempore tres tractatus de his molluscis exierint.

In operibus citandis continebar certis terminis et potissimum sequebar cl. Pfeifferum, cujus opus „Monographia Heliceorum viventium“ omnibus, qui hunc tractatum perlegent, et compertum et carum debet esse. Bourguignatus species novales divulgavit primo in libello supra citato, deinde pro parte in *Journal de Conchyliologie* tom. IV, p. 69–74, denique in tractatu: *Catalogue raisonné des Mollusques terrestres et fluviatiles recueillis par M. F. de Sauley pendant son voyage en Orient. Par. J. R. Bourguignat.* Paris 1853. Ad hunc solum

tractatum referre opus erat. Titulum libelli Moussoniani supra transcripsi.

Aegyptiacas quasdam species adjeci, ut suppleatur catalogus antea editus.

Scripsi Monachii Bavariae III Non. Decembr.

MDCCLIV.

## A. Helicea.

### I. Daudebardia Hartm.

Singulare hocce genus, tam parvum et vix notum, nova quadam specie ditandi mihi facta opportunitas.

#### 1. Daudebardia syriaca Rth.

Animal crassum, pede angusto quidem sed quod longitudinem attinet, ab ore usque ad corporis terminum prolongato praeditum itaque super totam soleam repens, fuscum, cinereo-marmoratum, in dorso quatuor lineis exaratum, quarum duae medianae a tentaculis majoribus recte retro pergunt, exteriores vero a solea surgentes arcu alteris junguntur; sub finem dorsi affigitur

Testula haliotidea, paucispira, succineata, glabra; anfractus tres, ultimus amplissimus, subauriformis, strigis incrementi exaratus, margine tenuissimo mollique terminatus.

Longitudo animalis repentis millim. 30, contracti 12; testae diam. maj. 5, minor 3; alt.  $1\frac{1}{2}$ .

Unicum specimen vivum cepi in horto quodam prope Berytum Syriae, sub lapide cum *Clausilia moesta* Fér. Tactum digiti contrahebatur subito emittens per totam superficiem mucum salivarium valde bullantem, ita ut plane obtegeretur animal in modum larvae Cercopidis. Non contigit ut discerem, utrum latere soleat sub foliis putridis lapidibusque ut nostrae species, an excavare subterraneos meatus ut Testacellae. Raritas speciminis dissectionem vetuit immo etiam inspectionem baseos testulae.

Speciem nuper *Testacellam Sauleyi Bourg.* appellatam (*Bourguignat*, Catal. rais. d. Moll. p. 5) ante oculos esse putarem, si determinatio ista ab auctori minus perito data foret. Observavi nuperrime specimina *Daudebardiae brevipedis Fér.* viva, et intimam affinitatem utriusque speciei testari possum, quod ad formam animalis attinet. Inclusa per viginti horas in vitro comedebant *Vitrinas elongatas Drap.* captivitatibus socias, sed nequiquam omne animal solummodo solem visceraque. Capiuntur non ita raro in vicinia Monachii sub foliis putridis fagi, una cum *Helice aculeata*, *pygmaea*, *hyalina*, *Vitrina elongata*, *Carychio minimo*, a primo vere usque ad finem Junii: dehinc absconduntur verosimiliter in terra, fugientes non solum solis ardores, sed etiam calorem aestivum.

## II. Helix Aut.

### 1. Helix aperta Born.

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 25.

Maximi momenti in hac specie epidermis, quae junioribus ultra terminum testae calcareae procedit, id quod in *Helice Busbyi Gray* optime cernitur. Specimina in Graecia collecta tenuiora et viridiora reperiuntur, quam quae ex partibus occidentalibus maris mediterranei proveniunt. Athenis mense Martio latebras hiemales in terra humida prope rivulos linquunt et agros depascunt per noctes.

### 2. Helix hydatina Rossm.

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 58.

Paucas et perparvas testas prope Athenas nactus sum (diam. maj. mill. 4, min.  $3\frac{2}{3}$ ) quae certe ad hanc speciem pertinent: obvenerunt aliae multo minores eadem adultae, umbilico magno pervio praeditae, quas ad *Helicem crystallinam Müll.* collocarem, si non umbilici amplitudo obstaret. Mentionem facit clar. Pfeifferus (Monogr. Hel. III, p. 66) varietatis cujusdam paulo apertius umbilicatae, cui Parreyssius nomen *Hel. Botteri* imposuit. Specimina

nostra habent millimetra in diam. maj.  $2\frac{1}{3}$ , min. 2, altit. 1; anfractus  $4\frac{1}{2}$ .

### 3. *Helix rupestris* Drap.

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 86.

Ex Attica. Minor (Diam. maj. mill.  $2\frac{2}{3}$ , min.  $2\frac{1}{3}$ ) anfractibus convexioribus. Non ita raro evenit, ut anfractus ultimus a spira recedat et separatum tubum formet, ut Planorbes quidam monstrosi.

### 4. *Helix hierosolymitana* Bourg.

*Bourguignat*, Cat. rais. p. 22, t. 1, f. 32—35.

Diam. maj. mill. 3, min.  $2\frac{1}{2}$ ; alt.  $2\frac{2}{3}$ .

Peraffinis quidem *Hel. rupestri* Drap. haec species transit ad formas quasdam novi mundi. Vitae ratio similis: adfixa invenitur rupibus. Detexi fortuito, quum inscriptionem graecam veteris cenotaphii in valle Hinnom examinarem: occupaverant animalcula literarum strias exsculptas, aegre cernenda ob indutum limosum testarum.

### 5. *Helix aequata* Mouss.

*Mousson*, Coq. terr. et fluv. p. 16 et 55, f. 1.

Quae autor modo laudatus de hac specie et affinibus disseruit, certio rem me fecit inveniri plures *Zonitis* species orientales difficilioribus notis separatas, nec convenire descriptiones antea datas *Helicis protensae* Fér. (*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 90) multoque minus *Helicis superfluae* Rossm. (*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 101) nec ad hanc speciem nec ad sequentes. Inclinar bar antea, ut quotquot exemplaria striaturam spiralem monstrarent, ad *Helicem superfluam* Rossm. delegarem, quum autores de nulla alia specie *Zonitum* hanc rem referrent. *Helicem aequatam* Mouss. circa Athenas nactus sum multo majorem (Diam. maj. mill.  $19\frac{1}{2}$ , min. 17; alt. 8; apert. lat.  $8\frac{1}{2}$ ). In speciminibus adultis umbilici introitus ovalis redditur angulato anfractu ultimo in latere aperturae opposito.

6. *Helix jebusitica* Rth.

Tab. 1, Fig. 3 – 5.

Testa late umbilicata, depressa, nitida, et incrementi striis et lineis spiralibus minutissimis superne decussata, olivaceo-vitrina, diaphana, subtus pallescens: anfractus  $4\frac{1}{2}$ , celeriter accrescentes, subplani, ultimus ad finem peripheriae aliquantulum deflexus: sutura levis, filata: apertura sat magna, oblique lunato-ovalis: peristoma simplex, acutum, margine columellari subarcuato, non reflexo nec protracto.

Diam. maj. mill.  $15\frac{1}{2}$ , min. 13; alt.  $6\frac{1}{2}$ ; apert. lat. 7.

Medium tenet credo inter *Helicem aequatam* Mouss. et *sanctam* Bourg. Ab hacce distinguitur anfractibus paucioribus celeriterque crescentibus, umbilico magno: ab illa anfractibus non ita rapide evolutis, umbilico rotundato: ab utraque anfractu ultimo paululum descendente, unde apertura obliquata.

Collecta in fissuris rupium prope lacum Gihon agri Hierosolymitani et in valle Hinnom ad locum Hakeldama.

7. *Helix sancta* Bourg.

*Bourguignat*, Cat. rais. d. Moll. p. 7, tab. 1, f. 10–12.

Sunt mihi exemplaria, e quibus appareat nimia inter hanc et *Helicem cellariam* Müll. affinitas. Specimen unicum Hierosolymis nactum re vera nullo modo a *cellaria* differt, ne magnitudine quidem: duo alia circa Berytum lecta, omnibus anfractibus praedita, multo minora: diam. maj. mill. 8, min. 7; alt.  $3\frac{1}{2}$ .

8. *Helix nitelina* Bourg.

*Bourguignat*, Cat. rais. p. 8, t. 1, f. 23 – 25.

Circa vicum Nazarenum reperitur varietas major (diam. maj. 15, min. 13 mill.) in qua convexitas plagae inferioris magis recedit. Angulus ultimi anfractus perspicuus, umbilicus rotundus.



9. *Helix Erdelii* Rth.

*Roth*, Moll. spec. p. 16, tab. 1, f. 4, 5 et 20.

Reperi testas diversae magnitudinis circa Berytum et vicum Nazarenum optime descriptioni antea datae respondentes. *Helicem flavidam Ziegleri* e Sicilia, aperturae callo levissimo praeditam propius quam par est accedere ad nostram speciem censeo. Utrum *Hel. sudensis Pfr.* et *Erivaldskyana Rossm.* revera laudabiles agnoscantur species an delegentur inter synonyma, non satis mihi constat deficientibus typicis speciminibus.

10. *Helix Olivieri* Fér.

*Pfr.* Monogr. Helic. I, p. 130.

Prope Athenas varietas frequentissima, quam Pfeifferus sub lit.  $\beta$  profert. Specimina Byzantina prius descripta (*Roth*, Moll. sp. p. 14) sub lente strias spirales monstrant: quamobrem et ob labrum fuscum fasciasque calcareas potius ad *Helicem syriacam Ehrenb.* collocanda sunt.

11. *Helix syriaca* Ehrenbrg.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 131.

Frequens per totam Syriam, major in locis a mari remotis. Dentium maxillae numerus minime constat: quotquot examinavi specimina, ultra decem denticulos monstrabant, inaequales, irregulares.

12. *Helix carthusiana* Müll.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 132.

In Attica passim, minus frequens quam *Hel. Olivieri*.

13. *Helix Pisana* Müll.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 152.

In locis maritimis Judaeae abundat. Maxillas vidi duobus, tribus, quinque denticulis armatas.

14. *Helix Seetzeni* Koch.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 154.

Innumerae variationes coloris obvenerunt: plurimis quidem calcareus sive cretaceus, simplex; sed in quibus

fasciae adparent, vix duas aequales invenire possis. Sunt quibus fasciae septem, quinque, quatuor circumducantur; quibus modo superae, modo etiam inferae confluant; quibus latiores fasciae albidis strigis obliquis et transversis strigilentur; quibus summi anfractus marmorato-maculati evadant. Nec minus formae diversitas animadvertenda: anfractus ultimus saepissime ita descendit, ut proportiones inter diametrum et axim immutentur; spira simul in multis provecior, anfractus convexiores, sutura profundior.

Diam. maj. mill. 23, min. 20, alt. 15.

„ „ „ 21, „ 20, „ 17.

Socia *Helicum Boissieri Charp., candidissimae Drap*, et *tuberculosae Conr.* in confinibus maris mortui prope monasterium St. Sabae fruticibus Passerinae aliisque insidet tanta copia, ut ramuli plane obducantur, et tam arete adfixa per diem, ut, si demere in mentem venit, potius rumpatur testa crassiuscula.

15. *Helix variabilis* Drap.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 157.

Cassus foret conatus enumerandi et distinguendi quotquot variationes hujus speciei in parva provincia Atticensi obvenerunt. Sufficiat ut afferam, hanc speciem in Oriente minorem, distinctius striatam et carinatum inveniri, quam quae ex partibus occidentalibus describuntur specimina typica. Item notanda varietas quaedam parva, elatior (Diam. maj. 11, min. 10, alt.  $8\frac{1}{2}$  mill.), multicolor, columella et labello albido-rosaceis, anfractu ultimo paululum descendente: quibus ex notis adparet, *Helicem maritimam Drap.* speciem adhuc incertam et ambiguam, in Graecia quoque adesse comitem *Hel. variabilis*.

16. *Helix cretica* Fér.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 159. Chemn. ed. nov. p. 253.

Non dubito, quin ipsam Férussaci speciem ante oculos habeam, etsi notae nonnullae minus quadrent ad descriptionem modo laudatam. Descendit in omnibus specimini-

bus meis anfractus ultimus infra orbile penultimi paulo magis quam in *Hel. cespitum*: hiat umbilicus. Vulgatissima circa Athenas. Diam. maj. 19, min. 17, alt. 13 mill. Specimina cretacea unicolora praevalent.

#### 17. *Helix simulata* Fér.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 159.

Inter innumera Xerophilorum specimina quae ex Judaea aliisque Syriae partibus reportavi, ne unum quidem inventum, quod rite huic speciei adscribendum sit. Nec perforatio, nec sculptura, nec elevatio testae talis conspicitur, qualem autores poscunt. Sequentibus potius adnumerare cogor, quae forte in uno alterove caractere minus notabili ad *Hel. simulatam* inclinant, neutiquam in omnibus congruentia, minime vero quod ad elevationem attinet.

#### 18. *Helix pyramidata* Drap.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 160.

Notatu dignum, quod hujus speciei specimina graeca et ex Asia minori non umbilicata sed perforata, non striatula sed costulata, non plane convexa sed egregie carinata inveniantur, id quod in testis junioribus magis etiam adparet. Nihilominus nec ad *Helicem tarentinam Pfr.* aut *conterminam Shuttl.* collocanda nec sub novo quopiam nomine inter novales species recipienda puto.

#### 19. *Helix protea* Ziegl.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 166.

Speciem multo latius propagatam quam autores hucusque statuerunt, detexi in Graecia (Attica), in Judaea, Galilaea aliisque Syriae provinciis. Intra confines maris testae unicolores solent esse, rarius uni- aut multizonatae: procul a mari vero diversissime pictas eademque grandiores cepi. Specimina Hierosolymitana adsunt diam. 15 mill., Nazarena 17 mill. Maxilla modo sex dentes aequales gerit modo aliquot minus bene distinctos.

20. *Helix caperata* Mont.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 167.

Varietates quaedam insigniores in Palaestina obvenerunt: Hierochuntica depressior, unicolor, peristomate rufo, albolabiato; Nazarena valde depressa, latius umbilicata, supra atra vel atro-marmorata, infra modo alba, modo bizonata. Maxilla dentibus ultra sex armata.

21. *Helix intersecta* Lam.

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 169.

Collecta in cacumine montis Parnetis Atticae, accedens ad specimina Tubingensia, quod ad sculpturam coloremque attinet.

22. *Helix tuberculosa* Conrad.

Tab. 1. Fig. 6. 7.

*Carocolla tuberculosa* Lynch, Offic. Report of the U. S. Exped. to the Dead Sea p. 229, pl. XXII, f. 129.

*Helix Despreauxii Bourguignat* Catal. d. Moll. p. 35.

Testa angustissime perforata, conico-tectiformis, corrugato-striata, sordide calcarea, bicarinata: anfractus sex, contabulati, plani, carinis serrulato-incisis, inferiori prominula, exserta; anfractus ultimus infra convexiusculus, minus rugosus: apertura angularis obliqua: peristoma acutum, simplex, marginibus disjunctis, columellari reflexo, perforationem semitegente.

Diam. maj. 15, min. 13, alt. 13 millim.

Species haecce notabilis medium tenet inter *Helicem Despreauxii* Orb. et *terrestrem* Chemn., ab utraque bonis notis distincta. Naetus sum circiter triginta specimina, agglutinata ad inferiorem plagam ramulorum in terra repentium, ita ut spira tota in arena absconderetur, inter Hierochuntum et Monasterium St. Sabae non procul ab lacu Asphaltite. Adparent in uno alterove specimine vestigia fasciarum superficiei inferioris. Animal albidum, gracillimum. Maxilla vix denticulata.

Ipsa verba Conradi transcribam, quum liber Lynchii citra Oceanum minus quam par est innotuerit. „*Carocolla tuberculosa*. Trochiform, minutely umbilicated: spire elevated, volutions each with a tuberculated carina above the suture and a revolving series of smaller tubercles in the middle; sides of volutions flattened and oblique, transversely rugose; periphery of body-whorl profoundly carinated, the carina reflected and furnished with numerous unequal tubercles; base convex, profoundly rugose; peristome reflected. Local: Shore of the Dead sea. A single specimen with the two volutions nearest the apex broken, was obtained. The shell is bleached and remarkably similar in form to a species of *Trochus*.“

23. *Helix trochoides* Poir.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 180.

Specimina graeca minuta: diam. et alt. 4 millim.

24. *Helix Boissieri* Charp.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 436.

Descriptioni singularis hujus speciei addendum, quod in adultis faux obscure fusca inveniatur. Sunt mihi multa specimina, in quibus appareat, angulum peristomatis superiorem revera aliter formari quam nostri autores statuerunt: margo dexter, ubi ad angulum ventum est, eandem crassitiam recuperat, quae adscendenti propria, medio ut angulus lateralis formetur deest; jungitur deinde tuberculo calli parietalis, non ita arcte tamen, quin absit limes inter marginem et tuberculum: restat semper canalis modo profundior modo tenuior.

25. *Helix candidissima* Drap.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 282.

Simul cum *Hel. Boissieri* prope St. Sabam aliisque Judaeae locis specimina inventa, quae idem tuberculum, quod supra *Hel. Boissieri* nuncupavi, ad callum parietalem gerant: immo specimina aliquot Sardoia, Nicaeensia, Palermitana eo non plane carent.

26. *Helix cariosa* Oliv.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 204.

Quotquot exemplaria examinavi, omnia anfractum ultimum sub finem demittunt. Nonnullis peristoma ita incrassatur, ut labiatum appareat. Animal ejusdem coloris ac *Hel. candidissimae*, nec minus vitae ratio affinitatem intimam inter utramque speciem pronuntiat. Majorem copiam collegi circa pagum Nazareth.

27. *Helix lens* Fér.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 209.

Certarunt Conchyliologi, quid sit *Helix barbata Fé-russaci* (Tab. LXVI, f. 3). Reportavi ex Attica varietatem nostrae speciei ventricosiorem, supra minus elevatam, minus acute carinatum, distincte barbatam, reliquis notis, e. g. numero anfractuum, accedentem ad typicam formam. Circa Athenas minor (diam. maj. 10, min. 9, alt. 4½ millim.) in montosis major (diam. maj. 12, min. 11, alt. 5 millim.) In Peloponneso (circa Patras et in insula Sphaeria, nunc Poro) typica forma, acute carinata, praevallet.

28. *Helix figulina* Parreys.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 237.

Majorem inveni circa Athenas quam volunt autores, diam. maj. 30, min. 24, alt. 18 millim. Nec dubium, quin excedat etiam hasce dimensiones: maximas enim ipsas labio incrassato destitutas video.

29. *Helix cavata* Mousson.

*Mousson*, Coq. terrestr. et fluv. p. 21.

*Hel. figulina* Var. *Bourguignat*, Catal. p. 15.

Speciem Hierosolymis abundantem non contigit ut vivam caperem, quum loci imbres hiemales vitarem: adfuerunt modo vacuae testae, calcareae, oblitteratis cingulis detritaque epidermide. Differt praecipue ab *Helice figulina* anfractu ultimo altiori, minus inflato. Diam. maj. 31, min. 26, alt. 32 millim.

Apert. alt. 24, lat. 17 millim.

30. *Helix prasinata* Roth.

Tab. 1. Fig. 1. 2.

Testa imperforata, turbinato-globosa, striata, tenuis, prasina epidermide mox decidua induta, obsoletissimis et angustis fasciis cingulata; spira brevis, acuta: anfractus  $4\frac{1}{2}$ , superiores subplani, ultimus amplissimus et vesicalis: columella recte descendens, incrassata, alba: fauces lividae, in nonnullis margaritaceae; apertura lunato-ovalis: peristoma acutum, rectum, minime incrassatum nec expansum: callus tenuissimus, valde arcuatus.

Diam. maj. 32, min. 22, alt. 31 millim.

Apert. alt. 25, lat. 18 millim.

Non specimen unicum, sed manipulus exemplarium viginti induxit me in ancipitem conatum statuendae speciei novae inter congeneres Pomatiae. Quam quum primum detexerim apud Tiberiadem, *Helicem apertam Bornii* in manibus esse mihi visum: tantum praevallet anfractus ultimus, tanta operculi convexitas. Mox tamen certior factus inspecta maxilla et sagitta, adesse Pomatiam quandam, rigidissime examinanti non contigit, ut in ullam descriptionem bene quadrantem inciderem. Spirae et minuties et acuties, amplitudo tenuitasque anfractus ultimi, epidermidis validitas vetant jungi hanc speciem *Helici ligatae*, ad quam propius accedit aliis notis, exempli gratia vestigiis linearum spiralium. Nec ab *Helice Buffoniana Pfr.* tantum discrepat: faucium coloratio, aperturae forma eadem.

Cl. Bourguignat (Catal rais. p. 15, pl. I, f. 42, 43) nomine *Helicis Engaddensis* speciem bene diversam descripsit mihi invisam. Anfractus convexiusculi, columella obliqua statuuntur: nulla fit mentio calli, nulla insolitae tenuitatis, nulla indumenti singularis.

In nostra specie animalis color et verrucositas Pomatiam aequat: maxilla atra dentes sex gerit: sagitta eodem modo arcuata, quatuor carinis praedita, e longiori collo procedit quam quod in sagitta Pomatiae videmus.

31. *Helix sylvatica* Drap.

*Pfr.* Monogr. Hel. I, p. 278.

Varietas *Parnassia* *Rth.*

Ad hanc speciem referre licet *Helicem* quandam a clar. Heldreichio, horti botanici Atheniensis praefecto, in monte Parnasso detectam et benevole mihi communicatam. Distinguitur a speciminibus typicis Liguriae magnitudine et colore albo columellae callicae. Cingula superiora maculosa, lineae spirales, peristomatis et columellae forma plane speciem laudatam indicant. Color testae minime detritae lacteus. Diam. maj. 31, min. 27, alt. 22 millim.

32. *Helix spiriplana* Oliv.

Urgente clar. Moussonne (*Coquilles terr. et fluv. p. 34*) in *Hel. guttata* Oliv. anfractus superiores ipsos convexos inveniri, divisos profunda sutura sine ullo vestigio carinae, idemque cerni in speciebus proximis *Hel. diulfensi* et *Hel. Bellardii* Mous., differentia specifica inter *Helices spiriplanam* et *guttatam Olivieri* recognoscatur oportet. Nec minus ac *Hel. guttatae* typicae alteri speciei duae accedunt subspecies, *caesareana* Parr. et *hierosolyma* Boiss., utraque a clar. Moussonne definita, sed non aequali valore praedita: prior quod infra videbimus potius inter veras species deleganda erit, altera inter varietates levioris notae. Sola enim quam ipse cl. Mousson (*l. c. p. 23*) refert differentia cernitur in dimensionibus grandioribus testae Hierosolymitanae, quam quibus *spiriplana* typica Rhodiensis gaudet.

Eandem varietatem cl. Conrad Americanus (*Lynch, Offic. Report p. 228, pl. XXII, fig. 128*) incautius novalem speciem aestimat, cui nomen *Hel. lithophagae* imposuit, opinans excavare animal in quibus reperitur latebras, perforato saxo ope lingualium denticulorum, ut ait Doct. Leidy in epistola ad Doct. Anderson data (eodem libro p. 207). Equidem denticulos laminarum lingualium in *Hel. spiriplana* nec majores nec alius formae reperi, quam quales



in aliis Helicibus ejusdem magnitudinis inveniuntur: nec satis constat, utrum lingua Heliceorum protrudi possit ex ore (id quod necesse foret ad actionem istam perpetranda), an immobilis in fauce haereat ad friandum cibum. Compresso capite Helicis pone tentacula majora palatum solum cum ejus lamina provehitur, idemque fit suffocato animali in aqua frigida destillata: numquam lingua foras conspicitur modo animalium, quibus haec pars libera. Doloritica saxa ubique terrarum cavernosa se praebent: nec aliter circa Hierosolymas. Insidet *spiriplana* naturales saxi cavernas, sed una cum ea Bulini quos infra exponamus, et quidquid animalculorum aut nidum aut latebram petere solet, vespertiones, mures, aves, lacertae, serpentes.

### 33. *Helix caesareana* Parr.

*Hel. guttata auct.*, non Olivieri.

Testa ad umbilicum oclusa, globoso-depressa, solidiuscula, laeviuscula, transversim minus rugosa, striis spiraliibus praesertim in ultimo anfractu secundum suturam cincta, zonis quinque fuscis fulguratim albo-interruptis saepe evanescentibus ornata: anfractus  $4\frac{1}{2}$ , superiores carinati, plani, sutura impressa, ultimus antice valde deflexus: apertura obliqua, rotundata: peristoma minus expansum, labiatum, marginibus conniventibus callo crasso junctis.

Diam. maj. 36, min. 29, alt. 21 mill.

Apertur. diam. maj. 19, min. 16 mill.

Forma et sculptura totius testae et peristoma paullo reflexum sufficerent sane ad statuendam hanc novalem speciem, si quis forte umbilici oclusionem parvi faceret. Verum et haec tam certa et constans nota speciei; ut ad diagnosim idem valeat ac illae. Quod formam attinet, nostra species globosior altiorque quam *spiriplana*, spira proVectiori, anfractu ultimo minus praeponderante, fortius deflexo; striatura transversa tenuior exiguaque granulatio: alia vero, *spiriplanae* aliena, sculptura apparet linearum spiraliuum tenuissimarum, imprimis prope suturas, numquam

in basi. Margo superus rectus, medius et basalis modice reflexus, columellaris late expansus in callum.

Habitat *spiriplana* var. *Hierosolym.* locos humidiores, umbrosos, et per maximam anni partem caelata in recessibus rupium; non ei opus est tanta testae crassitie, ut solis nimius ardor arceatur: color etiam minus pallescit: *caesareana* contra in apricis locis reperitur, ubi nulla umbra nec specus opaci, sed arentia saxa, ubi multo majorem pati oportet calorem solisque appulsum, ubi pallescunt colores et fugit nitor. Foramen ei obtegitur callo et crassescit margo, quia peristoma continuum validumque arctius potest adplicari lapidibus, dum torpet animal per menses aestivos, agglutinatum ita, ut levare cupienti cultro opus sit.

*Spiriplanam* collegi circa Hierosolymas, quarum elevatio supra mare circiter 2000 pedum est. Descendens ad occasum aut orientem non ita procul ab agro Hierosolymitano incidi in *caesareanam*: eadem in nundinis rusticorum venditur, quippe quae facilius et majori copia colligitur.

Clar. Charpentierus (Zeitschr. für Malakozool. IV, p. 136) monet *Helicem caesareanam* (vulgo *guttatam*) majorem inveniri quam *spiriplanam*: ex meis speciminibus numerosissimis contrarium adparet: maximum enim quod apud Nazareth cepi specimen *caesareanae* 39 millimetra complet; *spiriplanae* millim. sunt 44.

Viva retuli in patriam utriusque speciei exemplaria, sed non contigit ut in cibum iis jucundum inciderem. Humefacto vasis quo continebantur fundo solventes paulo post cuticulam agglutinatam devorabant diaphragmata duo, ut haberent unde restruerentur ista opercula.

#### 34. *Helix cyclolabris* Desh.

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 368 et III, p. 236.

*Mousson*, Coq. terr. et fluv. p. 8.

Distingunt autores Shuttleworth et Mousson tres hujus speciei formas, typicam, *Heldreichii Shuttlew.* et *Hymetti Mouss.*, quibus aegre quidquam aliud nisi variationum valorem tribuerim. Vindicatur typicae praeter

dimensiones grandiores, quas communes habeat cum *Hel. Hymetti*, forma aperturæ ovalis, margo columellaris gradatim i. e. non abrupte reflexus et latius ad anfractum penultimum appressus. *Hel. Hymetti* dicitur differre anfractus ultimi basi minus convexa, marginibus magis approximatis et peristomate abrupte reflexo: *H. Heldreichi* denique, parva et depressior, peristomate fere circulari late reflexo brevissime ad anfractum præcedentem appresso, ut in *H. Hymetti*. Habemus igitur forma *H. Hymetti* transitum ab *H. cyclolabri* ad *H. Heldreichii*, quam quo nullus potuerit optari directior. Sane promiscua mihi obvennerunt utriusque specimina in monte Parneti Atticæ, neutra tamen hirsuta quamquam viva cepi, quod altera variatio minoris momenti habeatur. Color quidem corneus, basi dilutior; fascia fusca circumducta per largiorem zonam albidam, ita ut ab utroque latere accedat zonula pallidior, non secus ac in *H. cingulata Stud.* zona efficitur cingulo albo fascia rufa bipartito. In monte Hymetto denique varietas pallidior fere alba exstitit.

Forma minor sive *H. Heldreichi* frequentissima circa Athenas, exempli gratia ad rupes Acropoleos et Lycabeti: sunt etiam paucae testæ plane imberbes.

### 35. *Helix cingulata Stud.*

*Pfr.* Mon. Hel. I, p. 356.

Var. *Olympica Roth.*

Accepi a Dom. Th. Heldreichio Athenis singularem varietatem hujus speciei lectam ad Montem Olympum Macedoniae. Differt spira elatiori, umbilico angusto: vestigia epidermidis corneae adsunt. Cingulum unicum per totam spiram conspicitur.

Diam. maj. 23, min. 20, alt. 14 millim.

### III. *Bulimus Scopoli.*

#### 1. *Bulimus attenuatus Mousson.*

*Mouss.* Coq. terr. et fluv. p. 36 et 57, pl. 1, fig. 7.

*Bulimus obesatus* autor. *Bourg.* Catal. p. 39.

Cl. Mousson l. c. apertissima demonstratione ostendit, *Bulimum obesatum Webbii* ex insulis Fortunatis allatum multo differre a specie syriaca prius a cl. Ferussacio eodem nomine signata solum, non descripta. Aptius igitur ambiguum nomen ad speciem canariensem restringitur, quippe quae prior Conchyliologis rite innotuerit, et syriaca alterum nomen accipiat oportet. Descripsit autor specimina Cypri insulae: acceptum a me exemplar syriacum nulla nota discrepare dicit, nisi quod columella rectior et plicis paene destituta inveniatur. Alia specimina nostri Musei hanc differentiam statui vetant. Juniores testae acute carinatae ad ambitum in modum *Bulimi montani* aliorumque. Cepi in vinetis Hierosolymitanis. Long. 20, diam. 9 millim. Apert. alt. 8, lat. 6 millim.

#### 2. *Bulimus Delesserti* Bourg.

*Bourg.* Cat. p. 40, pl. II, f. 1—3.

*Bulim. gastrum Ehrenbrg.* Var. *Mousson* Coq. p. 14.

Non ita grande discrimen interest inter Ehrenbergii et Bourguignati species, quantum ego quidem conjectura assequor deficientibus speciminibus syriacis. Nititur in magnitudine, forma plus minus ovali, denique in anfractibus modo planioribus modo convexioribus. Nactus sum in insula Syra locis umbrosis.

#### 3. *Bulimus Pupa* Lin.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 128.

Comparatis speciminibus et e Sicilia allatis et ex Oriente nuper aliquotque annis abhinc (*Rth.* Moll. spec. p. 17) a me ipso reportatis sane distantia aliqua palam fit non tam staturae quam formae. In his ultimus anfractus potius attenuatur in modum *Bul. attenuati Mouss.*: in illis margo dexter latius ab axi discedit et peristoma totum expanditur: unde aperturae forma utrisque diversa. In insula Zacyntho quidem testas sicilianis magis similes collegi.

#### 4. *Bulimus euboicus* Reeve.

*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 357.

Nactus sum hanc speciem adhuc dubitabilem in in-

sula Corcyra. Parum necessaria mihi videtur separatio a sequenti.

5. *Bulimus Bergeri* Rth.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 134.

In montosis Atticae, e. g. monte Parneti, nec minus in Peloponneso provenit varietas magis inflata, brevior.

6. *Bulimus Loewii* Phil.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 130.

Speciem hucusque ex Asia minori allatam detexi ipsam in cacumine montis Parnetis Atticae. Adparet in plerisque speciminibus denticulus ille calli accessorius ad angulum peristomatis superiorem sinistrum. Cl. Mousson inter Mollusca insulae Cypri *Bulimum quadridentem Müllereri* habet (*Mouss. Coq.* p. 39). At noster anfractibus decem gaudet magisque cylindricum se praebet.

7. *Bulimus septemdentatus* Rth.

*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 358.

Satis magnam circa Hierosolymas reperi copiam, e quibus laxa variantia speciei apparet, quod ad formam peristomatis et dimensiones testae attinet. Dens calli superus angularis jungi solet alteri denti aperturali, unde apertura sexdentata simulatur. *Bulimus ovularis Olivieri* peraffinis quidem sed vere peculiaris agnoscitur *Mouss. Coq.* p. 46.

8. *Bulimus Saulcyi* Bourg.

*Bourguignat* Catal. p. 42, t. II, f. 4, 5.

Circa Tiberiadem mihi inventus. Ne unum quidem *Bulimi septemdentati* specimen eodem loco cepi, id quod satis plane probat speciei peculiaritatem, si revera deessent alii characteres specifici nisi convolutio sinistrorsa.

9. *Bulimus zebriolus* Fér.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 137.

Attinet altitudinem millimetrorum 17. Et flammulata et unicolor alba varietas sub virgultis legitur Athenis magna copia. Non fugitat solis ardores.

10. *Bulimus labrosus* Oliv.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 64.

Persuasum mihi est, *Bulimum Jordani Boiss.* huic jungi deberi. Innumerae obveniunt et formae et magnitudinis variationes, nec desunt multae monstrositates unde patet, animal dum crescens testam format, crebris damnis exponi. Abditos inveni in saxorum fissuris angustioribus acervatim consistentes alterum super alterum, prope vicum St. Philippi in deserto, minus frequenter circa Hierosolymas. Quod monui in proemio damnum inferi solitum testis a larva quadam insecti coleoprati, perforatio lateralis anfractus ultimi, ut praedo possit intrare, et in hac specie et in sequenti frequentissime mihi obviam venit deprehendenti ipsum raptorem heluantem in testa.

11. *Bulimus sidoniensis* Fér.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 308.

Diversis locis Judaeae una cum *Bul. septemdentato* collegi. Incrassatur multis speciminibus callus aperturalis, ita ut peristomatis margines juncti et continui reddantur.

*Bulimum syriacum Pfeifferi*, quem cl. de Sauley refert copiosissime circa Hierosolymas inveniri, non contigit ut detegerem.

12. *Bulimus eburneus* Pfr.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 179.

Rara videtur testa, quum unicum solum nactus sum exemplar in cenotaphio Judicum dicto prope Hierosolymas.

13. *Bulimus detritus* Müll.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 222.

Accepi a cl. Hieldreichio varietatem majorem, minus ventricosam, lectam in Thessalia: alt. 16, lat. 9 millim. Exstat in Museo Monacensi ipsa species lecta apud Brunsam Asiae minoris 16 millim. alta, 11 lata.

#### IV. *Achatina* Lam.

1. *Achatina acicula* Müll.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 274.

Circa Athenas satis frequens: inveni specimen  $6\frac{1}{2}$  millim. longum, id est tertia fere parte majus quam quae in Germania proveniunt.

#### V. *Azeca* Leach.

1. *Azeca zacynthia* Rth.

Tab. 1. Fig. 10. 11.

Testa ovato-subcylindrica, corneo-fulva, pellucida; anfractus 6, ultimus penultimo longitudine aequalis, omnes planulati, sutura filiformi juncti: spira obtusa: apertura obliqua, subcircularis: columella profunde dentato-truncata: peristoma subreflexum, crassiusculum, album, callo albo parietis auctum, transeunti in marginem sinistrum ascendentem, sed relicta rimula ad angulum superum abrupte terminanti.

Long.  $5\frac{1}{4}$ , lat.  $2\frac{1}{2}$ ; apert. alt.  $1\frac{1}{2}$ , lat. 1 millim.

Distinguitur ab *Azeca pupaeformi* *Cantr.* non dimensionibus solum: statura magis cylindrica, anfractus pauciores, apertura exigua, minus angulosa, peristoma denique subreflexum alius speciei notae non viliores. Unicum tantum specimen abstuli de littore insulae Zacynthi.

#### VI. *Tornatellina* Beck.

1. *Tornatellina Hierosolymarum* Rth.

Tab. 1. Fig. 8. 9.

Testa subfusiformis, vitrea, pellucida, glabra; spira conica, acuta: anfractus 8, plani, ultimus cylindraceus, spira aliquantulum brevior: columella subhorizontalis, breviter truncata, callosa, in parte superiori unilamellata: apertura elliptica, basi rotundata, angulo supero acutissimo: paries lamella forti acuta, alba, spirali, usque ad apicem

ducta munitus: palatum tenuiter uniplicatum: margo dexter arcuatus, acutus.

Long. 4—8, diam.  $1\frac{1}{2}$ —2; apert. long. 2—3 mill.

Gracillima species, *Tornatellinae* (*Glandinae*) *lamelliferae* Mor. (Journ. d. Conch. II, p. 358, pl. IX, f. 13) ut puto proxima. Testas raras vacuas, nec detritas nec sole calcaratas inveni prope Hierosolymas in via Bethlehemitana sub rupe impendente. Abditum verosimiliter animal latet in terra fissurisque saxorum ut Achatinae quaedam (*Cionellae* Alb.), quibuscum nostrae speciei maxima intercedit similitudo externa.

### VII. Pupa Drap.

#### 1. Pupa minutissima Hartm.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 306.

Costulatam argutius quam specimina Germanica inveni circa Athenas majori copia.

#### 2. Pupa Scyphus Friv.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 326.

Parum necessaria mihi videtur introductio hujus speciei, restringens nomen *Pup. Dolioli Brug.* ad formam minorem terrarum mediae Europae. Nam quod cl. Mousson (*Coq. terr.* p. 47) affert discrimen, superficies fere laevis et polita, in omnibus meis speciminibus et Graecis et Smyrnensibus non sufficit: superiores enim anfractus distincte lamelloso-costati in modum *Pupae Dolioli* reperiuntur. Non ita raro in pariete aperturali prope angulum dextrum denticulus accessorius calli conspicitur. Prope Athenas frequens.

#### 3. Pupa umbilicata Drap.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 329.

Satis magnam hujus speciei copiam in Graecia lectam lustravi, sed ne unum quidem specimen reperire contigit, quod speciei prius a me descriptae, *Pupa umbilicus* dictae (*Roth* Moll. sp. p. 20), adnumerandum foret.



## 4. Pupa Philippii Cantr.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 350.

Quod monui supra apud *Pupam Doliolum*, etiam in hac specie observandum, nisi quod denticulus profundius (i. e. non in ipsum callum) positus plicae parietalis pars antica videtur esse: id quod *Pupam Philippii* proxime ad *Pupam avenaceam* accedere probat.

Soli et victus natura testis e genere Pupae faucium armaturam modo augeri modo diminui alterum argumentum mihi in promptu. *Pupa secale Draparnaldi*, species per Germaniam plerasque Europae mediae provincias satis frequens, septem plicis armata statuitur, tribus in palato, binis in columella et pariete. Tales numquam vidi, sed quotquot examinavi e partibus diversissimis, quatuor plicis palatum munitum ostendebant in modum *Pupae frumentum Drap.*, ita ut supera plicula minuta per cervicem ipsam (superficiem externam anfractus ultimi) manifeste transluceret. In alpibus Bavariae et secundum Isarae cursum Monachium usque varietas quaedam occurrit frequentior quam forma typica, modo quinque modo sex plicis palatalibus praedita, cui nomen *Pupa Secale var. Siligo* imposui. Ubi enim anfractus ultimus angulum inferum format et palatum ad columellam assurgit, in ipsa rima vel propius ad columellam una vel duae pliculae inveniuntur accessoriae.

*Pupa Philippii* per Atticam et Peloponnesum frequens.

VIII. *Clausilia Drap.*1. *Clausilia naevosa* Fér.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 430.

Pervariabilis in hac specie anfractuum sculptura: ultimus saepissime rariocostatus, penultimus et sequentes excepto apice eleganter crebriusque costulati. Lamella spiralis, in medio pariete posita, breviter lam. superam transcurrit. Ins. Zacynthus.

2. *Clausilia munda* Ziegl.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 430.

Testae recentes subpellucidae, caeruleo-corneae, fauce concolori. Lamella spiralis qualis in specie praecedenti, vix tamen praetereurrens lam. superam.

Smyrnensis castelli ruinae.

3. *Clausilia maculosa* Desh.

*Deshayes* Expéd. de Morée, Moll. p. 167, pl. XIX, f. 67—69.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 457.

Utrum vera *Deshayesii* species praejaceat an varietas potius *Claus. griseae* ejusdem auctoris, aegre discernendum: nec minus utrum duas species tam arcte conjunctas separare liceat. Quae nunc collegi exemplaria, in eo discrepant ab illis, quas antehac in Dissert. Moll. spec. p. 21 nomine *Claus. griseae* descripsi, quod peristoma manifeste incrassatum seu labiatum se praebeat: quod lamella supera et infera fortiores evadant et haec plerumque indivisa conspiciatur: quod denique unica plica palatalis existat. Spatium interlamellare nec in hac specie nec in *Claus. grisea*, ut antea opinabar, pliculis aratur: perspiciuntur solummodo exarationes anfractus penultimi callo tenuissimo vitreoque obtectae. Lamella spiralis longe finem lam. superae transcurrit per medium parietem.

Quae mihi sunt exemplaria *Claus. griseae* verae satis probant, alteram pliculam palatalem, quae tribuitur *Claus. griseae*, nec constantem esse nec omnino plicae valorem postulare: exstat perpauca modo ambigua palati coarctatio ex ancipiti quadam exaggerata linea, plicae superae parallela, lunatam fere attingente.

Nomine *Claus. Massenae Michaudii* a cl. Parreysio specimen accepi crassum, curtum (dimensionibus iisdem ac var. b. *Claus. griseae* *Pfr.* Mon. Hel. III, p. 604) lamellis exiguis praeditum, non aliter sculpturatum ac *Cl. grisea* et *maculosa*: quamobrem deficiente caractere sul-

corum longitudinalium varietatem quandam *Claus. griseae* potius censeo.

Cl. Deshayesius l. c. utrique speciei invisam nobis altitudinem tribuit, nimirum millimetrorum XVIII et XIX: permulta specimina emensus sum lecta in montosis Atticae et insulae Aeginae: fortassis Peloponnesi juga altiora alunt specimina. In secunda editione operis Lamareckiani idem auctor *Claus. maculosam* variabilem esse refert, quod ad magnitudinem attineat.

Quae species in Expéd. de Morée Atlas pl. XIX, f. 61—63 depicta sit nec ex libro nec ex aliis Deshayesii scriptis apparet: *Clausilium Bourguignati* Charp. esse suspicor (*Charp.* in *Journal de Conchyl.* III, p. 401, pl. XI, f. 11, et *Bourg.* Cat. rais. p. 48, pl. II, f. 14—17).

4. *Clausilia flammulata* Pfr.

*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 604.

Faux plerisque fuscula in fundo, albo-sublabiata aliis. Insula Aegina in rupibus.

5. *Clausilia saxicola* Parr.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 443.

Testa rimata, subcylindrica, sublaevigata, cornea: anfractus decem, summi convexi, laevissimi, tres sequentes costulati, medii subtilissime striati, ultimus pone lunellam rugosus: sutura albo-filosa: apertura subrotunda: lamella supera exigua, marginem non attingens; lam. spiralis ad peripheriam seu suturam evoluta, ad finem superiorem bifurcata: lam. infera valida, flexuosa, ramulum emittens: lam. subcolumellaris emersa: lunella valida, recte descendens: plica palatalis nulla: peristoma continuum, superne appressum, expansum.

Long. 15—17, diam. 4 millim.

Satis frequens circa Athenas.

Incipit haecce species perparvam seriem Clausiliarum ob defectum palatalium plicarum insignem. Innotuerunt tantummodo sequentes: *Clausilia saxicola* Parr., *rubi-*

*cunda* Küst., *patula* Charp., *solida* Drap., *cinerea* Phil., *bidens* Lin., *leucostigma* Ziegl., *candidescens* Ziegl. Nec tamen lamella spiralis deest, id quod cl. A. Schmidtus (Zeitschr. f. Malakoz. VIII, p. 187) et cl. Charpentierus (Journ. de Conchyl. III, p. 377) voluerunt. In omnibus quas modo enumeravi lamella spiralis non in medio pariete posita sed ad suturam adpressa facillime intuentem fugit: semoto palato manifesta in conspectum venit. Examinaui permagnam specierum copiam, nec ullam detexi quae careat hac lamella, unde patet quanti momenti sit in dirigendo clausilio.

6. *Clausilia rubicunda* Kstr.

*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 609.

Long. 15 — 22, lat.  $3\frac{1}{2}$  —  $5\frac{1}{2}$ : apert. long. 4 —  $5\frac{1}{2}$ , lat.  $3\frac{1}{2}$  —  $4\frac{1}{3}$  millim.

In monte Parneti Atticae.

7. *Clausilia patula* Charp.

*Pfr.* Mon. Hel. III, p. 606.

Long.  $14\frac{1}{2}$ , lat.  $3\frac{1}{2}$ , apert. long.  $3\frac{1}{2}$ , lat.  $\frac{2}{3}$  millim.

In monte Petressa Atticae mesogaiae.

8. *Clausilia isabellina* Pfr.

*Pfr.* Mon. Hel. II, p. 467.

Quatuor plicae palatales inveniuntur, tres suturae parallelae, longissimae, tenues; ultima brevior, validior, ad lunellae apicem tendens: lamella spiralis ad peripheriam parietis evolvitur.

Long. 15, lat.  $3\frac{1}{2}$  millim. Insula Aegina.

Nonne indicata vulgo patria, Cahira Aegypti, errore quodam surrepsit?

9. *Clausilia Ehrenbergii* Rth.

Tab. 1. Fig. 12 — 14.

Testa fusiformis, non rimata, sublaevigata, rufo-cornea, subopaca: spira elongata, apice obtuso: sutura albo-filosa: anfractus duodecim, primi laevigati, sequentes costulati, ultimus attenuatus, rugosus, bicristatus, cristis compressis

antice convergentibus et confluentibus in cristellam peristomati parallelam: apertura angustata, pyriformis: lamella supera recedens: spiralis in fundo retracta, superam non attingens: infera valida, subhorizontalis: palatales plicae duae, altera supera longissima, altera brevis e lunella descendens: subcolumellaris inconspicua: peristoma liberum, expansum.

Long. 16—20, lat. 4; apert. alt. 4, lat. 3 millim.

Species vicina *Clausilia Boissieri Charp.* et *Hedenborgi Pfr.* Cristarum alia dispositio, quae ex icone patebit, alia coloratio et aperturae forma. Nec minus duae Bourguignati species novae, *Claus. Albersi* et *Deserti* (*Bourg. Cat. rais. p. 45 et 47*) a nostra specie distinguuntur numero plicarum palatalium, sculptura: cristarum vero dispositio his eadem ac nostrae. Legi tria specimina in horto quodam Berytensi sub articulis siccatis putridisve Opuntiarum una cum *Claus. moesta Fér.* Cl. Ehrenbergius in *Symbol. physicis Mollusc. plaga c-descriptionem* dat *Clausiliae* cujusdam libanoticae, *tuba Paradisi* dictae, duasque ejus formas ponit, alteram (provectiore aetate) decollatam albidam, alteram (junioem) integram fuscam. Quae est hodierna specierum digestio minutis subtilitatibus nixa, aegre ex brevi descriptione apparet, quas species ante oculos habuerit ex multis, quae nuper innotuerunt. Lubeat doctissimis Musei Berolinensis praefectis speciminum *Claus. tuba paradisi* examen accuratius, quo certiores fiamus, utrum mea species celeberrimo viro, cujus nomen imposui, objecta fuerit, an potius *tuba paradisi* sub alio quodam nomine recentiori abdita lateat.

#### 10. *Clausilia Kephissiae* Rth.

Tab. 1. Fig. 15—17.

Testa brevissime rimata, fusiformis, glabra, rubella, basi albescens: sutura albo-filosa: spira attenuata: anfractus undecim, summi laevigati, sequentes costulati, medii substriati, ultimus confertim costatus, constrictus, infra

bicristatus, crista supera fortiori: apertura pyriformis, subcircularis, basi canaliculata: lamella supera parva, spiralis minutissima, imo ventre recondita, infera subhorizontalis: plica palatalis unica, lunellam secans, subcolumellaris inconspicua: nodulus albus lamellae inferae oppositus media fauce fusca: peristoma continuum, solutum, fuscum, expansum, reflexum, hinc inde ambigue denticulatum, praecipue et manifeste per spatium interlamellare.

Long.  $18\frac{1}{2}$ , lat.  $3\frac{2}{3}$ ; apert. alt. 4, lat. 3 millim.

Primo intuitu elegantem hance speciem *Claus. bicolorum Pfeifferi* (Pfr. Mon. Hel. III, p. 619) putavi, sed mox intellexi sejungendam esse et collocandam inter eam et *Claus. denticulatam Olivieri*, quae ut ex descriptione (Pfr. Mon. Hel. II, p. 477) apparet, non modo majori anfractuum numero gaudet, sed etiam ad cervicem simpliciter cristata et in peristomate circumcirca denticulis munita conspicitur.

Reperta primum in antro Nympharum prope pagum Kephissiam ad fontem Kephissi: variationes sequentes aliis Atticae locis detexi.

Var. a. Peristomate incrassato, sublabiato. In monte Hymetto.

Var. b. Longior, crassior (long. 20, lat. 4 millim.), minus laevigata: peristomate magis expanso, albido, minus distincte denticulato: anfractuum ultimarum costis canescentibus. In monte Parneti.

#### 11. *Clausilia Pikermiana* Rth.

Tab. 1. Fig. 18 — 20.

Testa brevissime rimata, fusiformis, eleganter costulata, tenuis, subpellucida, sericina, pallide fusca: sutura inornata: spira attenuata, acutiuscula: anfractus undecim, summi laevigati, sequentes et medii distincte filoso-costulati, ultimus rugosior, latere compressus, basi bicristatus, crista supera longiori et fortiori: apertura subcircularis:

lamella supera parva, spiralis minutissima, retracta, infera subhorizontalis, profunda: plica palatalis unica, lunellam parvam secans: subcolumellaris retracta, inconspicua: nodulus albus lamellae inferae oppositus media fauce fusca: peristoma continuum, solutum, expansum, reflexum, minime incrassatum: spatio interlamellari pliculis munito.

Long. 13–16, lat. 3–3½ millim.

Invitus hanc novam speciem propono simillimam non modo praecedenti, sed magis etiam *Claus. Bourguignati Charp.* (*Charp.* in *Journ. d. Conch.* III, p. 401, pl. XI, f. 11). In altera faucium partes pariter formatae, sed habitus totus discrepat: altera denticulis peristomatis et nodulo palatali caret. *Clausilia inuncta Parreyssii* (*Pfr.* *Mon. Hel.* III, p. 620) multo minor, solida, albido-variegata describitur, sed sane cum *Claus. Kephissiae*, *Pikermiana*, *plicatula Drap.*, *densestriata Ziegl.*, et *lineolata Held* manipulum specierum multis notis mutuis juncturum format.

Detexi *Claus. Pikermianam* ad vicum Pikermi Atticae mesogaiae, quo loco notabilia illa ossa mammiferorum exhumavi.

## 12. *Clausilia moesta* Fér.

*Pfr.* *Mon. Hel.* II, p. 477.

Lamella spiralis perbrevis: incipit quidem ante finem superae, sed non adpropinquat subcolumellarem, nec ambit columellam.

Frequens in hortis Berytensibus.

## B. Cyclostomacea.

### I. *Cyclostomus* Montf.

#### 1. *Cyclostomus Olivieri* Sow.

*Pfr.* *Mon. Pneumonopom.* p. 224.

Ultimus anfractus albidus, medii rubidi, summi fulvidi.

Peristoma longe solutum, liberum, id quod in *Cyclost. costulato* Ziegl. numquam cernitur. Constat mihi quidem hac de caussa, bene distingui nostram speciem, satis dignam quae inter veras species recipiatur.

## C. Limnaeacea.

### I. Limnaeus Cuv.

#### 1. *Limnaeus ovatus* Drap.

E fluvio Melete prope Smyrnam. Differt a specimenibus Germanicis plica columellae insigni, nec non angulo aperturae basali sinistro multum producto.

Alt. 18, lat. 15; apert. alt. 14, lat. 8 millim.

#### 2. *Limnaeus atticus* Rth.

Tab. II. Fig. 16. 17.

Testa subrimata, ovata, corneo-lutescens, limo oblecta, tenera, striata: spira brevis, acuta: anfractus quatuor, ultimus ampullaceus; apertura basi rotundata, apice obtuse angulata, peristomate recto, simplici, columella pliciformi, dein late reflexa.

Alt. 17, lat. 12; apert. alt. 14, lat. 7 millim.

Aegrius, concedo, distinguuntur Limnaeorum species extraneae, indigenis ipsis ambiguitatem nimiam prae se ferentibus. Adparet et ex aliis Molluscis fluviatilibus mutabilitas testarum pendens ex aquarum natura chemica et physica, quae studium systematicorum paene irritum reddant. Nec docuerunt nos magistri anatomiae comparativae tales notas ex animalium structura interna, ex quibus praeter characteres generales quidquam specifici pateat. Quam nunc propono speciem, non ita procul abest a *Limnaeo ovato* Drap., quem Deshayesius (Expéd. de Morée p. 171) et Bourguignatus (Catal. rais. p. 58) in numero specierum Graecarum habent: sed praeponderante anfractus ultimi basi gravior fit alteratio diametrorum, et



speciem cernimus intermediam inter *Limn. ovatum* Drap. et *vulgarem* C. Pfr.

Collegi magnam copiam in flumine Kephisso ejusque aquagiis.

3. *Limnaeus pereger* Drap.

Testa solidiuscula, obtecte perforata.

Long. 20; apert. alt. 13, lat. 7 millim.

Collectus a defuncto Bergero in Peloponneso.

4. *Limnaeus minutus* Drap.

Apertura fusco-rufa. Major. Long. 11, lat. 5 millim.

In fossis aquariis circa Athenas.

## II. *Isidora Ehrenberg.*

1. *Isidora lamellosa* Rth.

Tab. 2. Fig. 14. 15.

Testa sinistrorsa, fusiformis, elongata, rimata, tenuis, vitrina, saepius nigro indumento opaca: spira obtusa: anfractus quinque, convexi, prope angulum suturae unicarinati, crebris lamellis axi parallelis eleganter costulati: apertura ovalis, fere integra, marginibus modo connexis modo disjunctis, vix incrassatis.

Long. 7, lat.  $2\frac{1}{2}$ , apert. alt. 3 millim.

Elegantior haec species ut ceterae *Isidorae* e Nilo affertur: accepi ab amicissimo Doctore Pruner-Bey, emerito Aegyptus Satrapae archiatro. Etsi *Isidoram Forskali* *Ehrenb.* (Symb. phys. Moll. plag. e) nostrae speciei comparare nequeo, nullum tamen dubium, quin utraque per se maneat peculiaris. Nec carinae nec lamellarum mentionem ullam facit diligens ille observator. Lamellae in testis maximis solummodo per spiram conspicuae, detritae fere in ultimo anfractu.

## III. *Planorbis Guettard.*

1. *Planorbis alexandrinus* Ehrenb.

*Ehrenb.* Symb. phys. Moll. plag. e.

*Roth* Moll. spec. p. 22, pl. II, f. 8 a—c.

Varietatem accepi e Nilo angulo carinaeformi faciei inferae deficiente.

2. *Planorbis cornu* Ehrenb.

Tab. 2. Fig. 6—9.

*Ehrenb.* Symb. phys. Moll. plag. e.

Valido callo labiali instructus. Delineandum curavi, qui adhuc latuerit.

3. *Planorbis marginatus* Drap.

Collegit defunctus Bergerus in Peloponneso. Specimina multo minora Germanicis.

4. *Planorbis atticus* Bourg.

*Bourg.* Catal. rais. p. 55, pl. II, f. 35—37.

Specimina majora mihi sunt, quam quae Bourguignatus descripsit: diam. maj. 11, min. 10, alt. 3 millim.

Carina exilis in his, plaga infera fere plana.

In fontibus rivulisque Atticae.

5. *Planorbis fontinalis* Rth.

Tab. 2. Fig. 10—13.

Testa minus depressa, utrimque concava, paucigrata, cornea, laeviuscula: anfractu ultimo multum praeponderante, rotundato sine ullo carinae vestigio.

Diam. maj. 3, min.  $2\frac{1}{2}$ , alt.  $1\frac{1}{3}$  millim.

Peraffinis *Plan. regulari* Hartm., excellit tumiditate anfractus ultimi. Detexi in fonte quodam medicae salubritatis in insula Sphaeria (Poros) ad monasterium St. Mariae.

#### IV. *Ancylus* Geoffr.

1. *Ancylus pileolus* Fér.

Tab. 2. Fig. 4. 5.

*Férussac* in Dict. class. d'hist. nat. I, p. 346.

Testa valde fornicata, pellucida, alba, striis seu rugis concentricis arata: apertura ovato-elliptica: mucro reduncus, ad sinistram versus et deflexus, superpendens et transiens aperturalis baseos terminum.

Long. 6, lat.  $4\frac{1}{3}$ , alt.  $3\frac{1}{2}$  millim.

Paucissima verba cl. Férussaci l. c.: „sommet dépassant la base“, sufficiunt ad diagnosim hujus speciei, quae prius ab insula Chio delata nunc mihi in fontibus rivolorum de jugis Parnetis montis decurrentium reperta est.

## D. Peristomacea.

### I. Paludina Lam.

1. *Paludina unicolor* Oliv.

*Oliv. Voy.* II, p. 39; pl. XXXI, f. 9, a. b.

*Chemnitz* edit nov. I, 21, p. 21, t. IV, f. 12, 13.

” ” ” I, 21, p. 25, t. V, f. 11, 12. (*Palud. biangulata* Küst.)

Sunt mihi specimina, ex quibus appareat, formam, quam cl. Küsterus l. c. mutato nomine descripsit, pertinere ad Olivieri speciem: nec displicet conjectura, objici in ea nobis formam sexus masculini: extraxi nempe e solis speciminibus altioribus embryones testaceos.

### II. Bithinia Gray.

1. *Bithinia decipiens* Fér.

*Chemn.* ed. nov. I, 21, p. 35, pl. VII, f. 27—29.

Notam descriptionis: lineolis transversis albis ornata, inconstantem esse suspicor: unicum quod reportavi ex Aegypto specimen plane caret tali ornatu. Confirmatur mihi haec conjectura repertis inter specimina *Bith. tentaculatae* Lin. ex insula Gotland Sueciae missa exemplaribus nonnullis, quibus non solum crebriores lineolae transversae sed etiam binae lineae crassiores albae spiraliter per anfractus tres ultimos circumducantur.

2. *Bithinia Orsinii* Charp.

*Chemn.* ed. nov. I, 21, p. 42, t. IX, f. 1, 2.

Obviam venit una cum *Ammicola Charpentieri* in

aquaeductu horti botanici Atheniensis. Operculum idem ac *Bith. tentaculatae* Lin.

### III. *Amnicola* Gould.

1. *Amnicola macrostoma* Kstr.

*Chemn.* ed. nov. I, 21, p. 73; pl. XIII, f. 5—7.

Apertura modo rotundata, modo ovata. Alt.  $3\frac{1}{2}$ , lat. 3 millim. In flumine Kephisso fossisque aquariis circa Athenas. Prope Hermopolim insulae Syrae inveni varietatem prasinam, majorem: alt. 4, lat.  $3\frac{1}{3}$  millim.

2. *Amnicola Charpentieri* Rth.

Testa minuta, rimata, ovato-cylindrica, tenuis, diaphana, glabra, viridis aut vitrea: spira obtusa: anfractus quatuor, convexi, ultimus productus: apertura ovali-oblonga, marginibus continuis, peristomate reflexiusculo, superne angulato.

Alt.  $3\frac{1}{2}$ , lat.  $1\frac{2}{3}$  millim.

Persimilis *Amnic. Schmidtii* Charp. (*Chemn.* ed nov. I, 21, p. 40; tab. VIII, f. 26—30) distinguitur non modo fragilitate totius testae, sed etiam aperturae forma magis elongata. Commoratur in fontibus annibusque Atticae, praesertim montanae.

3. *Amnicola Tritonum* Bourg.

*Bourg.* Cat. rais. p. 64, tab. II, f. 29—31.

In paludosis Atticae et Peloponnesi.

## E. Melaniacea.

### I. *Melania* Lam.

1. *Melania tuberculata* Müll.

*Philippi* Icon. I, Melan. tab. 1, f. 19.

Adsunt specimina e Nilo, e lacu Galilaeo et e flumine Awadsch (Jarkon torrens Syriae). Syriaca in eo differunt a Niloticis, quod costulae longitudinales magis appareant, nec spirales carinarum instar promineant.

Spec. galilaeum (decollat.) alt. 33 millim.

2. *Melania judaica* Rth.

Tab. 2. Fig. 1—3.

Testa elongata, fusiformis, crassiuscula, fusca, costulis numerosis spiralibus (12) exarata: anfractibus fere planis, sutura profunda coalitis: apertura subelliptica, effusa, basi obtuse rotundata, columella alba, fauce fusca.

Long. 65, lat. 12, alt. apert. 13 millim.

Bene distinguitur haec nova species ab aliis, quibuscum comparatio accuratior necessaria videatur, a *Mel. tuberculata* Müll. et *Mel. flammigera* Dunk. Sunt nostrae speciei costulae spirales, non lineae, quales *Mel. flammigera* fert: nec exstat ullum vestigium costularum longitudinalium sive tuberculorum, quibus excellit *Mel. tuberculata*. Acrior aquae, in qua victitat, natura anfractus omnes ultimo excepto erodit apicemque gradatim depascit, quo fit, ut animal septum pone septum inserere cogatur, id quod in pluribus speciminibus mihi obviam venit.

Collecta in rivulo prope littus maris mortui.

## II. *Melanopsis* Fér.

1. *Melanopsis praerosa* L.

*Roth* Moll. sp. p. 24.

Loco modo citato de hac laxa specie formam Smyrnae lectam nomine *Melanops. Ferussaci* sejungere conatus sum, quam hodie melius edoctus meram varietatem agnosco. Aliter res se habet cum secunda ibidem proposita specie, *Melanopside Wagneri*; certe numquam confundetur cum illa specie, licet limites ejus amplientur quam maxime.

Duae mihi nuper obvenerunt varietates, de quibus pauca verba facere licebit. Legi in flumine Awadsch prope ostium nec longe ab urbe Joppe specimina qualia cl. Fé-russacio objecta fuerunt dicenti (Mém. d. l. Soc. d'hist. nat. de Paris I, p. 150): *Nous avons deux individus pris entre les ruines de Tyr et de Sidon, dont les tours de*

*spire sont un peu aplatis, légèrement étagés et garnis de faibles tubercules longitudinaux près des sutures.* Insuper adparent costae aliquot crassiores per totum anfractum ultimum decurrentes, qui tunc supra medium depressionem circularem habet. Major tamen pars exemplarium typicam formam ab Oliyero depictam et descriptam prae se fert. Alteram quam observavi varietatem, nactus sum in amni Ain-es-Sultan (amni Hierichuntis), una cum specie sequenti. Excellit spira perbrevis conoidea et fauce obscure violacea.

2. *Melanopsis Saulcyi* Bourg.

*Bourg.* Catal. rais. p. 66, pl. II, f. 52, 53.

Alt. (deficiente apice)  $18\frac{1}{2}$ , lat. 7 millim.

Specimina sexaginta plane inter se (praeter magnitudinem) congruentia minime ad *Melanops. praerosam* tendunt.

3. *Melanopsis costata* Oliv.

Var. *Jordanica* Rth.

*Roth*, Moll. sp. p. 25, pl. II, f. 12—13.

Quae leguntur in mari Galilaeo, obesiores solent esse quam rivicolae. His color obscurus pallescit.

## F. Neritacea.

### I. *Neritina* Lam.

1. *Neritina Jordani* Buttler.

*Roth*, Moll. sp. p. 26, pl. II, f. 14—16.

Cl. Rossmässlerus (Iconogr. III, 1, p. 35) censet hanc speciem conjungendam esse *Neritinae valentinae Graëllsii* (seu potius quam habet varietatem ejus *Neritinae Velascoi* ejusdem autoris). Non mihi sunt exemplaria speciei hispanicae: verba et icones Graëllsii (Catalogo de los Moluscos terr. y de agua dulce observados en Espanna p. 21, f. 25—34) et Rossmässleri (libr. cit.

pl. 68, f. 847, 848) conferam cum *Neritina Jordani*, collecta denuo satis larga copia. Quod attinet ad formam generalem, altitudo spirae totiusque testae, qualis tribuitur *Neritinae valentinae*, in Jordanica specie plane ignota: propius accedit forma *Neritinae Velascoi*, eo tamen discrimine, ut in nostra specie apertura magis rotundata, margo dexter minus provectus, praesertim ad angulum inferiorem parum effusus sive ampliatus inveniatur. At aliae notae mihi in promptu, quae quum a neutro auctore suis vindicentur speciebus, peculiare videntur *Neritinae Jordani* et quibusdam aliis. Suppeditantur ratione anguli superi, sculptura calli, appendiculis operculi.

Speciebus Europaeis plerisque margo aperturae dexter, ubi format angulum superiorem et jungitur anfractui penultimo, descendit et inclinatur ad callum, in quem transit continuo et integro trajectu: aliter res se habet cum *Neritina Jordani*: relinquitur inter marginem non inclinantem et callum convexum in ipso angulo rimula sive canalicula, qualem ostendunt species quaedam americanae, e. g. *Neritina virginea* Lam. et *Listeri* Pfr., quibuscum nostrae speciei, ut amplius demonstrabitur, intima affinitas.

Callus *Neritinae valentinae* et *Velascoi* cl. Graëllsio his ipsis verbis describitur: *Labium columellare crassum, album, callosum, convexum, margine integro* — et *callus columellaris convexiusculus labio integro*. Jordanica species pliculas in callo medio gerit, non in ipso margine quidem, qui non rectus sed arcuatus, verum ubi callus descendit ad formandum marginem. Americanis margo ipse denticulis munitur.

Operculum Neritarum cl. Rossmässlerus (l. c. p. 35) dicit eo differre ab operculo Neritarum, quod appendicula faciei inferae alteris simplex alteris duplex invenitur: et depingit operculum *Neritinae valentinae* juxtaque eandem partem *Neritinae Pupae*, quam maris incolam opinatur. Operculum *Neritinae Jordani* duplici appendicula

instructum eodem modo ac operculum specierum transatlanticarum: altera ad apicem altera ad marginem internum tendit; separantur rimula obliqua. Ad angulum inferiorem faucium in ipso palato carinula obliqua conspicitur, fulcrum apophyseos, correspondens rimulae.

Quid nunc? Delegabimusne Jordanicam speciem ad Neritas? Minime. Exquirantur potius alterae notae genericae, stabiliores ad discernendas Neritas et Neritinas. Sin autem desunt et recurrendum est ad operculi apophyses, statuamus novum genus intermedium — Neritaeam si placet — cujus notae: Operculi appendices duae, approximatae, fere aequales inter se, rimula obliqua separatae, ita ut crista interrupta efficiatur, fulta in carinulam palati: Neritae tum duae appendices, distantes et dissimiles, altera cristalis altera conica; ad utrumque angulum carinula, et torulus transversus per palatum, ubi insidet operculum appressum: Neritinae denique una appendicula, cristalis et elatior, nec ullae palati lineae crassiores aut prominentes. Revertam alio tempore ad hanc rem, quum inter ipsius Europae Neritinas aliquot detexi, quarum opercula novi subgeneris notas praese ferant. Maxima Neritaeae forma est *Nerit. hamuligera Troscheli* (Wiegmann. Arch. f. Naturgesch. III, 1, p. 177) ex India gangetica.

## 2. Neritina Michonii Bourg.

*Bourg.* Catal. rais. p. 70, pl. II, f. 48 — 51.

Testa ovato-globosa, paululum transversa, laeviuscula, striis incrementi solummodo exarata, nigra: spira lateralis, producta, adultis erosa: peristoma fere orbiculare, supra angulatum: labrum exacte semicirculare, superne acuto angulo ad spiram accedens: septum columellare incrassatum, antice arcuatum levissime crenulatum: palatum ad angulum inferum carinula praeditum. Operculum caerulescens, tenuissime rubro-cinctum, intus appendiculis duabus instructum eodem modo ac operculum *Neritinae Jordani*.

Alt. 8, lat.  $7\frac{1}{2}$  millim.



Quod discrepat haec descriptio a verbis Bourguignati, neququam inducit me, ut alius speciei typum in medio positum esse putem: persuasum potius mihi est defuisse auctori laudato specimina adulta, qualia nunc attuli ex rivo Ain-es-Sultan, prope Hierochuntem. Praevalet altitudo, spira exseritur. Varietatis B. quam habet Bourguignatus, specimina mihi sunt juniora e fluvio Awadsch prope Joppen. Nec tamen his septum columellare crassius et gibbosius. Alteram varietatem eodem loco cepi: color testae albescens, strigis flexuosis fuscis variegatus: junioribus forma rotundata, adultis transversa.

Sunt mihi aliae Neritinae, lectae in Asia minori et Graecia, de quibus referam, quando compertas habuero notas specierum passim descriptarum.

---

## Acephala.

### A. Najadea.

#### I. Unio Retzius.

##### 1. Unio Delesserti Bourg.

*Bourg.* Catal. rais. p. 77, pl. III, f. 7—9.

Rugositas umbonum, insignior nota speciei, etiam in testis decorticatis conspicitur. Facies interna dilute rosea, subtilissime granulata.

E fluvio Awadsch prope Joppen.

### B. Cardiaceae.

#### I. Cyrena Lamarek.

##### 1. Cyrena crassula Mouss.

*Mouss.* Coq. terr. et fluv. p. 54, f. 12.

Bene distincta species a *Cyrenis niliacis*.

Eodem loco ac *Unio Delesserti*.

---

## Tabularum explicatio.

### Tab. I.

- Fig. 1. 2. *Helix prasinata* Roth.  
„ 3 — 5. *Helix Jebusitica* Roth.  
„ 6. 7. *Helix tuberculosa* Conr.  
„ 8. 9. *Tornatellina Hierosolymarum* Roth.  
„ 10. 11. *Azeca Zacynthia* Roth.  
„ 12 — 14. *Clausilia Ehrenbergi* Roth.  
„ 15 — 17. „ *Kephissiae* Roth.  
„ 18 — 20. „ *Pikermiana* Roth.

### Tab. II.


- Fig. 1 — 3. *Melania Judaica* Roth.  
„ 4. 5. *Ancylus pileolus* Fér.  
„ 6 — 9. *Planorbis cornu* Ehr.  
„ 10 — 13. *Planorbis fontinalis* Roth.  
„ 14. 15. *Isidora lamellosa* Roth.  
„ 16. 17. *Limnaeus Atticus* Roth.

---

## Ueber die Gattung *Ennea* H. et A. Adams.

Vom Dr. L. Pfeiffer.

Als ich im Jahre 1854 meinem Freunde H. Cuming mit den Beschreibungen vieler anderen Novitäten zur Mittheilung in der Zoologischen Societät auch die der schönen neuen *Pupa Pirriei* zusandte, schrieb ich ihm dabei, ich wäre geneigt, diese Art mit einer Anzahl anderer als neue Gattung um den Typus der *Pupa elegantula* zu gruppiren, worauf ich umgehend die Antwort erhielt, dass in den zum Drucke bereiten Lieferungen von H. & A. Adams Gen. of Moll. bereits für denselben Typus eine neue Untergattung *Ennea* aufgestellt sei, welchen Namen ich natürlich für die von mir vorgeschlagene, wenn auch







4.



5.



6.



7.



8.



10.



11.



12.



9.



13.



14.



16.



15.



17.



- |   |   |
|---|---|
| <p>Solaropsis 137<br/>                 Spiraxis 166.<br/>                 Stenogyra ascendens 89 contracta<br/>                 90. lucida 90. maxima 89.<br/>                 stricta 90<br/>                 Stenopus 119.<br/>                 Streptaxis 172. <i>prostrata</i> 172.<br/>                 Streptostyla 167.<br/>                 Strophia 174.<br/>                 Strophocheilus 150.<br/>                 Stylodonta 139.<br/>                 Subulina 169.<br/>                 Succinea 117. Baudonii 188, hu-<br/>                 milis 188.<br/>                 Systrophia 136.<br/>                 Tachea 142.<br/>                 Tapada 118.<br/>                 Tectula 134.<br/>                 Temesa 179.<br/>                 Testacella Sanleyi 22<br/>                 Thaumasia 177.<br/>                 Thea 137.</p> | <p>Thersites 141.<br/>                 Tomigerus 148. <i>Venezuelensis</i><br/>                 148.<br/>                 Tornatellina 170. <i>Hierosolyma-</i><br/> <i>rum</i> 39. Petitiona 3.<br/>                 Torquilla 175.<br/>                 Trachelia 179.<br/>                 Tridopsis 135.<br/>                 Trochomorpha 132.<br/>                 Turricula 131.<br/>                 Ulostoma 135.<br/>                 Unio Delesserti 57.<br/>                 Uniplicaria 173.<br/>                 Vallonia 139.<br/>                 Varicella 172.<br/>                 Vertigo 177.<br/>                 Videna 131.<br/>                 Vitrina 115. <i>limpida</i> 10.<br/>                 Vitrinella 119.<br/>                 Xerophila 130.<br/>                 Xesta 119.<br/>                 Zonites 127.</p> |
|---|---|

### Erklärung der Tafeln.

- |   |  |
|---|--|
| <p style="text-align: center;">I.</p> <p>Fig.<br/>                 1. 2. <i>Helix prasinata</i> Roth.<br/>                 3—5. — <i>Jebusitica</i> Roth.<br/>                 6. 7. — <i>tuberculosa</i> Cour.<br/>                 8. 9. <i>Tornatellina Hierosolymarum</i><br/>                 Roth<br/>                 10. 11. <i>Azeca Zacynthia</i> Roth<br/>                 12—14. <i>Claus. Ehrenbergi</i> Roth<br/>                 15—17. — <i>Kephissiae</i> Roth.<br/>                 18—20. — <i>Pikermiana</i> Roth.</p> <p style="text-align: center;">II.</p> <p>1—3. <i>Melania Judaica</i> Roth.<br/>                 4. 5. <i>Ancylus pileolus</i> Fér.<br/>                 6—9. <i>Planorbis cornu</i> Ehr.<br/>                 10—13. — <i>fontinalis</i> Roth.<br/>                 14. 15. <i>Isidora lamellosa</i> Roth.<br/>                 16. 17. <i>Limnaeus atticus</i> Roth.</p> | <p style="text-align: center;">III.</p> <p>Fig.<br/>                 1—3. <i>Helix Stauropolitana</i> A. Schm.<br/>                 4—11. — <i>Pampelonensis</i> A. Schm.</p> <p style="text-align: center;">IV.</p> <p>1. <i>Cyclostoma chordiferum</i> Pfr.<br/>                 2. 3. <i>Cyclostoma basicarinatum</i> Pfr<br/>                 4—6 <i>Helix Santaeruzensis</i> Pfr.<br/>                 7. 8. <i>Bulimus Riisei</i> Pfr.<br/>                 9. 10. — <i>extinctus</i> Pfr.</p> <p style="text-align: center;">V.</p> <p>1. 2. <i>Pupa rudis</i> Pfr.<br/>                 3. — <i>latilabris</i> Pfr.<br/>                 4. 5. <i>Cylindrella planospira</i> Pfr.<br/>                 6. 7. — <i>cyclostoma</i> Pfr.<br/>                 8. 9. — <i>Camoënsis</i> Pfr.<br/>                 10. 11. — <i>chordata</i> Pfr.</p> |
|---|--|

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Malakozoologische Blätter](#)

Jahr/Year: 1855

Band/Volume: [2](#)

Autor(en)/Author(s): Roth Johannes Rudolf

Artikel/Article: [Spicilegium molluscorum orientalium 17-58](#)